

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e]\$nElektronische Ressource**

**Fecht, Johann  
Fecht, Gustav Friedrich**

**Rostochi, 1704**

**VD18 10451528-001**

§. XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

ex iactura vocum ortum, sed sensus potius hiatum, ex contextu nempe supplendum. Nec ויאמר אמר, dixisse aliquid Cainum, quod fuerit in textu omissum, sed locutum ad eundem esse, ceu & *Lutherus* recte convertit, significat. Quo sensu & אמר accipitur Exod. XIX. ult. Ps. CXXIX. 10. Vid. *Pfefferi*: *Hermenevtica Sacra*.

§. XVI. Ad. v. eund. *Cum essent in agro, occidit ipsum*.) Curiosus hic & vehementer sollicitus est *Clericus*, cur in agro dicantur fuisse, cum nulla tum fuerint urbes, quarum respectu dicantur agri. Forte extra urbes nunquam fuit *Clericus*, qui ignorat, agrum dici etiam respectu unius domus, cui ager circumcirca adjacet. Similis subtilitatis quæstio est, quam notante *Aben Esra* Judæi nonnulli moverunt, quomodo occidere Cain Abelem potuerit, cum gladio fuerit destitutus? Quam Rabbi merito vocat quæstionem; ביום סגור, in die pluvie obnatam. (intelligit autem, explicante doctissimo *Hilperto*, libro de Præadamitis, homines, qui se secludunt & sub tecto continent, adeoque nihil ferii quod agant, habent) Quam Jurisconsulti nostri vocarent *Domitianam*.

§. XVII. Adv. 9. *Ubi Abel frater tuus?*) Equidem capitale hic iudicium, indice *Varenio*, in Cainum exercet Deus, justus orbis iudex, atque adeo à cognitione causæ incipit: *ubi est Abel, frater tuus?* Ita tamen, ut simul gratiæ suæ in peccantem non sit immemor, sed amabilissimis verbis eundem ad pœnitentiam invitet; recte dicente *Raschio*: להכנס עמו ברבתי נחרתי אולי, ישיב ויאמר אני הרגתיי וחטאתי לך; *ita exordium sermonis cum ipso ingreditur, verbis ad omnem humanitatem compositis. Cogitabat enim inra se DEUS; forte revertetur & dices: ego occidi ipsum & peccavi in te. Quam*  
D; verò